



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1634**

De Psalmis Pœnitentialibus. IV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40244**

per octo quosque dies ab initio ieiunij, ascensiones in corde nostro disponamus de virtute in virtutem, donec ad Christum in Cruce exaltatum perueniamus, quem in Hebdomada maiori contemplamur.

8 Omittitur in ipsamet maiori Hebdomada; cum ibi militet eadem ratio, qua omittitur Officium paruū B. Virginis & Defunctorum; & omittuntur in Festo nouem Lectionum, ratione Festi, vt ait Radulph. *loco cit.*

9 Nulla nunc est obligatio, ex Bulla Pij V. qui proponit recitantibus Indulgentiam quinquaginta dierum; si nempe recitent in Ferijs quartis Quadragesimæ, siue in Choro, siue extra Chorum eos recitent, & absoluit Clerum ab antiqua obligatione. Si adest consuetudo eos recitandi in Choro, stetur legitimæ consuetudini; sicut etiam de Hora recitandi, de qua *cap. sequenti num. 6.*

#### De Psalmis Pœnitentialibus.

##### C A P. I V.

**P**salmi Pœnitentiales, qui scilicet ad pœnitentiam nos mouent, sunt numero septem: & videntur fuisse in vsu ante S. Augustinum, qui morti proximus eos lectitasse fertur; neque tamen auctor idem ipse perhibetur. Ordo Romanus eorum meminit in *Feria 4. Quadragesima in capite ieiunij.* Cassiodorus docet, septem esse, quia totidem modis remittuntur peccata nostra, Baptismo, passione martyrij, eleëmofyna, dimittendo alijs, conuertendo alios, abundantia charitatis, & pœnitentia. Hæc ille.

2. Innocentius III. iussit eos recitari in Quadragesima, ex Radulph.

*Propos. 21.* quia tempus est opportunum ad pœnitentiam.

3 Feriæ sexta assignati fuerunt in Quadragesima à Pio V. cum & hi quotidie recitarentur in eadem: vnde ordine Feriarum seruato, sexta Feriæ sequente quartam, Pœnitentiales locum habent in Breuiario post Graduales. Minor est etiam Pœnitentialium numerus quàm Gradualium.

4 Absolutè incipiebantur, ex Radulph. *loco citat.* sed in Breuiar. M.S. & 1550. præmittitur Antiphona, *Ne remiscaris.* &c. sumpta de Tobie libro. Quilibet Psalmus concluditur cum Trinitatis glorificatione solita, à qua speratur diuina gratia per pœnitentiam; gratia verò dicitur gloria Dei, *Rom. 3.*

5 Recitantur post Laudes diei, dicto *Benedicamus Domino, & Deo gratias,* vt habetur etiam in M.S. & 1550. & ante Primam; quia iustus in principio (diei) accusator est sui: sed Radulphi tempore dicebantur post Primam, in qua Confessio fit peccatorum.

6 Quòd si consuetudo detur aliqua antiqua & inueterata recitandi in Choro Psalmos Pœnitentiales in Ferijs v. post Completorium in Quadragesima, & in Ferijs tertijs Psalmos Graduales; sacra Rituum Congregatio declarauit, eam retineri posse, vt in vna Laudensi respondit 2. *Augusti 1603.*

7 Congruittamen multò magis FERIA sexta, in qua peccauit Adam, & mortuus est Christus eadem die.

8 Non in Festo nouem Lectionum. Quid enim peccatoris tristitia cum festiuitate Beatorum? nec in Parasceue, FERIA sexta maioris Hebdomadæ, vt dictum est de Officio Defunctorum.

9 Litanæ, quæ habentur post Psalmos Pœnitentiales, demptis aliquibus Sanctis de novo additis, eadem sunt quæ in Ordine Romano in *Benedictione Ecclesie*; non tamen ante sanctum Hieronymum eas fuisse in usu, sentit Walafrid. *de Rebus Eccles.* cap. 28. quod intellige apud Romanos; nam in Ecclesia Neocæsariensi eas adhibitas esse, scribit sanctus Basilius *Epistola 63*.

10 In Breuiarijs M. S. & in edito 1550. plures Sancti recensebantur, & petitiones diuersarum rerum multò plures erant, eæ scilicet quibus additur, *Te rogamus, audi nos*. Pius autem V. selegit nobiliores Sanctos, & ad sufficientem numerum petitiones redegit: quibus non debet fieri vlla additio, inconsulta sancta Sede Apostolica, nec etiam Patronorum loci; & præsertim, quando dicuntur Litanæ ex præscripto Breuiarij Romani in Rogationibus, & in Ferijs sextis Quadragesimæ; quia Pius V. prohibuit in Bulla omnem additionem. Fortè in alijs casibus addi poterant ab Episcopis, puta in quibusdam necessitatibus populorum, sicut adduntur in Rituali Romano varia, *A peste, fame, & bello*, & eiusmodi, ob varios casus. Neque Paulus V. videtur prohibuisse in Rituali Romano additionem, ex causa rationabili: sed sacra Rituum Congregatio die 22. *Mar-ty 1631*. respondit Canonicis Cathedral. Rbergiënsis, non posse inferi alios Sanctos in Litanijs, præter descriptos, etiam tempore pestis, quo ij petebant facultatem addendi Sanctos Titulares & Patronos ciuitatis: multò minùs inuocandi erunt in Litanijs ij qui nondum sunt canonizati, ex Glossa in cap. unico de Reliq. &

*venerat. Sanctorum. in 6. §. Sedes Apost. ver. Hoc eodem.* quam sequitur Bellarmin. *de Sanctorum beatitudine cap. 10.* imò neque priuatim recitando Litanias, vt docet Sanchez in *Summ. lib. 2. cap. 43. num. 5. & sequentibus.*

11 De Domino Apostolico, id est Papa, omnes Litanæ meminerunt. Dominus enim idem est ac Dominus; sed vocabulum Dominus terroris esse, non reuerentiæ, existimabant antiqui, ait Panuinus *de Interpret. vocum obscur.* qui & Apostolicus dictus est, tamquam Successor Petri Principis Apostolorum, vt ait Rupert. *lib. 1. de Diu. Offic. cap. 27.* Vacante Sede, petitio hæc de Domino Apostolico omitti debet, vnà cum Versu post Psalmum in Precibus, *Oremus pro Pontifice nostro N.* & Oratione de eodem; quia non est, si vacat Sedes: nam & in Canone, Sede vacante, iubemur tacere nomen Pontificis, & vocem ipsam.

12 Psalmus post Litanias erat alius, Orationes item longè plures quàm hodie, ex Radulpho, à quo indicatur esse vltima Oratio, quæ item apud nos est vltima. Pius V. tamen nihil mutauit, sed omnia à Breu. edito 1550. in suum transtulit Breuiarium, excepto Litaniarum fine, quem prorsus accepit à Breuiar. M. S. Habentur in Sacramentario Gregoriano Orationes hæc, *Deus, cui proprium est misereri; Ineffabilem; Deus, qui culpa offenderis; Exaudi quæsumus Domine; Deus, a quo sancta desideria; Vre igne, Fidelium; & Omnipotens*, quæ ibidem dicitur esse S. Augustini; sed habentur sparsim in citato libro.

13 Quòd si Litanæ separatim à Psalmis Pœnitentialibus dicendæ sint,

dicto ad Laudēs diei *Benedicamus Domino, Deo gratias*, statim eā dicuntur: nam *Fidelium anima*, pro fine Laudum, dicitur in fine Litaniarum, & vtrisque deseruit.

14 Nulla est obligatio extra Chorum recitandi septem Psalmos prædictos, absolvente nos Pio V. in Bulla Breuiar. ab omni peccato, & obligatione de hac re; qui concedit Indulgentiam quinquaginta dierum qualibet vice recitantibus eisdem iuxta Rubricas Breuiarij. in Choro, si consuetudo viger eisdem recitandi, conferuetur.

15 Pro Litanijis separatim dicendis nulla est Indulgentia; sed obligatio in Litanijis maioribus & minoribus. qua de re vide *Sectionem 6. cap. 16. num. 3. pagina 128.*

16 Communior vsus Ecclesiarum Urbis est, quod (excepto Sabbato sancto & Vigilia Pentecostes) Cantores & Chorus eas dicant alternatim: in Litanijis maioribus, ad distinctionem à minoribus, alicubi Chorus reperit quæ Cantores integrè dicunt, vt in Sabbato sancto. qua in re standum est locorum consuetudini, & longior Processio congruè id requirit.

*De Ordine Commendationis  
animæ.*

C A P. V.

1 **M**agni momenti, vnde pendet æternitas, est exitus animarum de suis corporibus; & idè cuiusque Sacerdoti, nedum Parocho, datur facultas commendandi animas Deo in hora mortis, & in transitu earumdem animarum. Vt autem quilibet Sacerdos ad manum habere queat, necessitate

præsertim vrgente, & Rituali (quod Parochorum est) deficiente, ad eadem Breuiarij additus est Ordo Commendationis animæ. extat in Breuiar. M. S. Vfus autem commendandi animas in eorum recessu est antiquior S. Gregorio, qui de eo meminit *Homilia 18. Euangel. 37.* Et de S. Ioanne Eleëmolyario ad morientes ventitante scribit Metaphr. *in eua. Vita*; à quo agonizantes, vt patet, benedicebantur: nam hic ritus Episcopalis benedictionis in obitu fidelium ante annum 840. erat in vsu, scribente Annonio *libro 5. cap. 19. de Gestis Francorum*, quod Ludouicus Pius Imperator moriens Diogenem Episcopum Metensem accersit, & ab eo benedictionem petit. Vnde S. Carolus Borromæus obtinuit à Gregorio XIII. *die 30. Decemb. 1580.* facultatem omnibus Episcopis Prouinciæ Mediolanensis concedendæ Indulgentiæ ægrotos, quos vel ipsi, vel eorum nomine alij visitauerint; tum vt ægroti benedictionem Episcopi diligentius procurent; tum verò etiam, vt ea reddatur ægrotis utilior.

2 Concordat noster Ordo cum antiquis M. S. excepta mutatione aliquorum Sanctorum in Litanijis breuius: quæ breues esse debuerunt, vt, discedente anima, sequentibus precibus magis proprijs eam Domino commendemus.

3 In Rituali Pauli V. præscribitur commendanti animam, vt induat Superpelliceam & Stolum violaceam, aspergat locum & infirmum Aqua benedicta, dicens: *Asperges me, &c.* & imaginem Crucifixi ægroti tradat osculandam, de quibus meminit Alcuinus *cap. antepenultimo*, vbi etiam monet,